



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione.
Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

Bosco, Jean a

Antverpiæ, 1686

Concl. III. Potest aliquis sibi mereri primam gratiam habitualem de congruo, & ejusdem augmentum de condigno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73708)

agnovit
meritum
congruum.

205.
Impetratio
distinguitur
à merito.

S. Aug.

206.
Oratio est
meritoria.

de congruo, & non solum impetrationem, quæ non sit meritum, infra ex ipsissimis ejus verbis ostendam.

Non inficior, impetrationem distingui à merito; quia non omne meritum est oratio, quæ tamen sola strictè & in omni rigore loquendo est impetratio; sed dico, omnem impetrationem etiam esse meritum de congruo, nisi velis movere quæstionem de nomine. Hinc D. Aug. Epist. 105. ait: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* Ergo secundum Aug. quod impetramus, meremur, saltem de congruo.

Herculè S. Tho. distinguendo in oratione efficaciam merendi, omnibus bonis operibus communem, ab efficacia impetrandi, orationi propria, satis aperte significat, orationem non tantum esse impetrationem, sed etiam meritum, quamvis sit magis impetratoria, quam meritoria. Et verò Scotus, nonne aliam dispositionem agnoscat, quam bona opera? Et si efficacia merendi est communis omnibus bonis operibus, ut illi Auctores sup. loquuntur, quomodo potest intelligi Scotum negasse meritum, & non dispositionem? Tu cogita. Ego à merito gratiæ actualis transleo ad meritum gratiæ sanctificantis, de quo instituitur

CONCLUSIO III.

Potest aliquis sibi mereri primam gratiam habitualem de congruo, & ejusdem augmentum de condigno.

207.

Hæc controversia propriè spectat ad Tractatum de merito, hinc eam in præsentis loco breviter transcurram, quatenus ejus cognitio necessaria est, ad melius intelligendum ea, quæ usque modò de merito gratiæ actualis dicta sunt. Enimverò in duabus præcedentibus Conclusionibus aliquoties meriti gratiæ justificantis fecimus mentionem, & diximus hoc meritum non repugnare Scripturæ, aut Concilio Tridentino, sed neque SS. Patribus, quod præsentis Conclusionis demonstrandum est. Ut igitur incipiam à prima parte (estque communior sententia) docet ipsam Scotus 4. Dist. 14. q. 2. §. Ad hujus intellectum, n. 15. ibi: *Potest ergo dici, quod Deus disponit per attritionem in aliquo tempore, tanquam per aliquod meritum de congruo, in aliquo instanti dare gratiam, & pro illa attritione pro merito justificat, sicut est meritum justificationis.* Et licet non continuaretur idem actus circa peccatum in genere naturæ & moris, qui prius; adhuc in illo instanti infunderetur gratia; quia jam præcessit meritum sufficiens de congruo. Nec te moveant hæc verba: *Potest ergo dici, quæ non sunt omnino assertiva, quasi hæc non esset sententia Scoti;* quippe n. 14. absolute ait: *Iste motus dicitur attritio, & est dispositio, sive meritum de congruo (nota hæc Scotum dispositionem con-*

Primæ par-
tē Conclusi-
onē docet Sco-
tus.

fundere eum merito) ad deletionem peccati mortali, quæ sequitur in ultimo instanti alicujus temporis, in quo tempore ista attritio duravit.

Sed quæ ratio hujus doctrinæ? Existimo, quia omnes conditiones meriti congrui continentur huic attritioni respectu gratiæ justificantis: est namque actus bonus, liber, supernaturalis, qui merito movet benignitatem ac liberalitatem Dei, ut nobis conterat remissionem peccatorum; præsertim eum etiam habeat promissionem, quæ tamen necessaria non est, Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Est et zeeh. 18. v. 21. *Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & vitâ vivet & non morietur.* Congruit quippe divinæ bonitati, ut peccata detestanti toto corde ex puro ipsius amore ea remittat.

De hac autem detestatione loquitur Scotus: nam requirit detestationem totaliter circumstantionatam n. 14. ibi: *Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis.* Porò, secundum eundem Doctorem, præcipua circumstantia est, quod sit propter Deum, ut patet ex Dist. 20. q. 1. n. 5. ibi: *Secundò, ad hoc ut displicentia valeat, & sit ordinata, oportet quod sit debiti circumstantionata, & maximè circumstantia sui principii activi principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum.* Quod verò hoc iusticiæ ad meritum, declaratur exemplo pauperis studiosi, qui, si sit bonis moribus ac diligens, meretur, secundum commune modum loquendi, auxilium potentum seu divitum, scilicet de congruo; quia ejus actio in iis circumstantiis talis est, quæ hos meritò moveat ad eum juvandum. Igitur ratio favet nobis.

An etiam auctoritas SS. Patrum? Noli dubitare. Princeps erit S. Ambros. qui lib. 2. de Pœnit. cap. 3. loquens de filio prodigo, ait: *Penitentiam agendo meruit solam.* Et sermone de Eleemofyna: *Neque (inquit) promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in præliis, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* Succedat Hieronymus lib. 2. contra Pelagi. dicens: *Qui peccata simpliciter confitentur, humilitate merentur clementiam Salvatoris.* Longior foret, quam oportet, si omnes Patres vellem profertur, qui hujus meriti meminerunt.

Unum Augustinum non debeo prætere, qui diversis in locis prædicat hoc meritum. In primis Epist. 89. q. 3. parum à principio ubi loquens de divite Epulone, ait: *Tamen si pauperis ulcerosus, qui ante januam ejus contemptus iacebat, miseratus fuisset, mereretur & ipse misericordiam.* Item Tract. 44. in Joan. ad illud cap. 9. *Scimus autem, quia peccatores Deus non exaudit, inquit: Alibi inane loquitur: nam & peccatores exaudit Deus: si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & peccus suum percussus, diceret: Deus propitius esto mihi peccatori (Luc. 18. v. 13.) Et ista confessio meriti justificationem, quomodo ista eadem illuminationem. Accedat, quod scribit in Psal.*

Plal. 50. ad illa verba: Ecce enim veritatem, &c. De incerto penitentiam egerunt (Ninivite) & certam misericordiam meruerunt.

Neque sola contritio est meritum congruum justificationis; sed etiam fides, spes, dilectio, quibus adulti disponuntur, juxta Trident. Sess. 6. cap. 6. ad ipsam justitiam; his enim conveniunt omnes conditiones meriti congrui; sunt etenim actus boni, liberi, supernaturales, qui merito movent benignitatem ac liberalitatem Dei, ut nobis conferat remissionem peccatorum; movent, inquam, saltem remotè. Equidem fidem esse aliquod meritum clarissimis verbis proficitur S. Aug. Epist. 106. ibi: Si quis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; immo verò gratissime consistitur. Hanc enim fidem volumus habeant, quæ impetrent charitatem (qua sola verè, bene operatur) isti fratres nostri, qui multum de suis operibus gloriantur. Charitas autem usque adeo donum Dei est, ut Deus dicatur. Qui ergo habent fidem, quæ impetret (id est, de congruo mereatur) justificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem justitiæ.

Et aliquibus interpositis, cum nomine Adversariorum objiceret: Si ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius reddatur, quam donatur? Respondet S. Doctor: Non dicat ista homo fidelis; quia cum dixerit, ut merear justificationem habeo fidem: respondetur ei: Quid enim habes, quod non accepisti? Cum ergo fides impetret (id est, meretur de congruo) justificationem; sicut unicuique Deus partitus est etiam ipsius mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani (id est, ex solis viribus naturæ) sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non prævia voluntate.

Ubi (juxta Felicem de Grat. c. 10. Diffic. 3. n. 5.) de gratia auxilii loquitur, non de habituali. Itaque tribuit Deus primum auxilium, & cum illo voluntas operatur, & meretur, ut detur aliud auxilium ad alium actum minus remotum, & ex illo ad alium usque ad meritum proximum & immediatum de congruo, quod est contritio. Sic ille. Rursus D. Aug. Epist. 105. his verbis extollit meritum fidei: Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetras. Neque enim nullum est meritum fidei, quæ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus merito fidelis humilitatis; quoniam, qui se humiliat, exaltabitur. Ubi Aug. admittit aliquod meritum fidei, non condignum; nam hoc negat in præcedentibus, dicens: Possunt quidem dicere (Pelagiani) remissionem peccatorum esse gratiam, qua nullis præcedentibus meritis (scilicet condignis) datur. Quid enim boni meriti (utique condigni) habere possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio, &c. ut sup.

Ergo quando dicit, remissionem peccatorum non esse sine aliquo merito, intelligit meritum de congruo. Atque adeo salium convincitur, quod Aliqui dicunt, SS. Patres non agnovisse nisi meritum condignum. Estò quippe

non fuerint usi isto vocabulo, Meritum congruum, rem tamen ipsam non obscure significaverunt. Quando ergo Trid. Sess. 14. c. 4. ait: Concil. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, per impetrationem intellige meritum de congruo; quod licet non sit simpliciter meritum, sed secundum quid; nihilominus est meritum proprium, vel est quæstio de nomine, de qua parum curandum, quando constat de re.

Rogas: quid ergo hæc sit meritum? Respondeo: est aliquod obsequium, & aliqualis recompensatio Deo facta, quæ in hoc convenit cum vera & stricta impetratione, quod sicut non est condignitas inter orationem, & rem postulata, neque certa & infallibilis confectio rei per orationem postulata; sed ex mera beneficentia, qui oratur, concedit quod petitur; ita etiam hoc meritum non habeat intalibilem effectum, neque æqualitatem cum præmio; sed ex beneficentia, & ad limum ex fidelitate concedatur, quod meretur. Nos igitur non loquimur more vulgi, sed more D. Aug. Ambr. & aliorum Patrum. Sperando (inquit D. Ambros. lib. 2. de Pœnit. c. 3.) quod promittit nobis Deus in Christo, meritum fecimus, ut liberemur, scilicet à peccatis.

Respondent Aliqui: Augustinus solum docet, fidem mereri; quia ostendit viam merendi. Quasi verò debeamus verba ejus improprie intelligere, ubi nihil obstat, quin proprie intelligantur. Censet, quia ostendere viam merendi, sit proprie mereri? Scio quia non censet. Nam etiam lex factorum id ostendebat, & tamen secundum D. Aug. de Spir. & Lit. c. 13. in hoc distinguitur à lege fidei, quod hæc præstat vires ad exequendum id, quod præcipitur; secus ista. Accipe verba ejus circa medium: Quid igitur interest, breviter dicam. Quod operum lex mandando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit: Non concupisces (Exod. 10. v. 17.) ista dicit: Cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia, scire ejus esset hoc donum, adii Dominum & deprecatus sum (Sap. 8. v. 21.) Ipsa est illa sapientia, qua pietas vocatur &c.

Hinc idem S. Doctor de Prædest. SS. cap. 2. interrogat: Quis dicat eum, qui jam cepit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri? Ubi agnoscit meritum formale in fide, seu initio fidei; sed negat istud initium esse ex nobis (quod asserunt Pelagiani & Semipelagiani, contra quos ibi agit) ne aliqui fiat, ut jam merenti cetera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnavit. Utique in Episcopali judicio Palestino, ut in eod. cap. loquitur. Pelagiani itaque & Semipelagiani fatebantur verum meritum in actibus fidei; sed errabant, quia dicebant eos esse ex nobis; & Aug. fatebatur idem meritum; at Catholicè docebat actus fidei non esse ex nobis, sed ex auxilio Dei juxta illud Philipp. 1. v. 29. Vobis datum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum

216. Quid hæc sit meritum.

217. Responsio Aliquorum ad D. Aug. rejicitur.

In quo distinguitur lex factorum à lege fidei.

218. D. Aug. agnoscit formale meritum in initio fidei, sed negat istud esse ex nobis.

Probatur, ex Deo esse ex Script. verum

verum etiam ut patiamini pro eo. Vtrumque (inquit Aug. ibid.) ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut plenius & perfectius credatis in eum; sed ut credatis in eum. Nec seipsum misericordiam consecutum dixit, ut fidelior, sed ut fidelis esset (1. Timot. 1. v. 12. & 13.) quia sciebat non se initium fidei sua priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo ejus augmentum; sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est.

219.
Alia Scriptura
ad idem
propositum
expeditur
à D. Aug.

Et ad idem propositum expendit paulo post, quod ait Apost. 2. Cor. 3. v. 5. Non quia idonei sumus, cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hæc, inquam, verba sic expendit: Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. . . . Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus: si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, quæ credere incipiamus, ex Deo est.

220.
An Aug.
retractavit
sententiam de
merito fidei.

Sed enim, dicit aliquis; D. Aug. retractavit hæc sententiam de meritoria fide lib. 1. Retract. c. 23. Credit qui volet, ego meam fidem fidei hujus commentum nunquam obstringam. Et qui possem obstringere, cum videam Augustinum loco citato non semel meriti rationem tribuere fidei. Sic enim ait: Itaque quod paulo post dixi: Sicut enim in iis, quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: sic in iis quos damnat, infidelitas & impietas inchoat poenæ meritum, ut per ipsam poenam etiam male operentur, verissime dixi. Sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putavi quaerendum esse, nec dixi. Et alio loco (Rom. 9.) Cujus enim miseretur, inquam, facit eum bene operari, & quem obdurat, relinquit eum, ut mala (aliàs, male) operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti impietati. Quod quidem verum est; sed adhuc quaerendum erat: utrum & meritum fidei misericordia Dei præveniat &c.

221.
Quod me-
ritum ve-
ritatis.

Quis sapiens & dicit, Aug. retractat ibi omne meritum fidei, sive meritum omnis fidei? Quid ergo meritum fidei, quam habemus ex virtutibus naturæ sive congruum, sive condignum gratiæ justificantis. Et istud nunquid à nobis asseritur? Noli dicere, noli cogitare, si non vis errare: sed dic, & intrus dic, quia sic est, ut dicitur: fides quæ est Dei donum, & oritur ex auxilio Dei, fides, inquam, supernaturalis meretur remissionem peccatorum, non de condigno, sed de congruo, non proximè sed remotè: nam mediæ spes, dilectio, & detestatio, juxta illud Tridentini sess. 6. c. 6. Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo

Fides tan-
tiam est me-
ritum ve-
ritatis.

Probatur ex
Trident.

justificari impium per gratiam ejus; per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; & dum peccatoris se esse intelligentes, à divinâ justitiâ timore, quo niliter concutimur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidenter Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet &c.

Igitur per primum actum fidei supernaturalis meretur de congruo peccator, ut timore divinæ justitiæ concussus in spem erigatur; & ex hac spe meretur dilectionem; atque per dilectionem poenitentiam seu verum odium & detestationem suorum peccatorum, per quam ultimè disponitur & meretur de congruo justificationem. Etenim inter hos actus (ut ait Felix de Grat. cap. 10. diff. 3. n. 7.) est immediate habitudo, & unus actus est proportionatus cum auxilio ad alterum actum: ergo poterit mereri tale auxilium. Rogas: auxilium hoc est auxilium efficax, an verò tantum sufficienti? Respondet idem Auctor n. 8. esse auxilium efficax. Probat 1. nam talia opera etiam cum auxilio efficaci habent proportionem. Secundo; quia si solum mererentur auxilium sufficienti, non verè diceretur aliquem mereri remotionem de congruo justificationem; nam ad illam non perveniret per auxilium sufficienti, sed necessaria auxilia efficaciæ. Tertio; quia parum utile esset hoc meritum; nam auxilium sufficienti ex generali providentia est quasi debitum; ergo, quod merentur istæ dispositiones, est auxilium efficax. Sic ille.

Si objicias eum efficacior est justus ad merendum de condigno, quam peccator ad merendum de congruo; sed justus non meretur de condigno auxilium efficax ad resurgendum à lapsu, neque ad evitandum novum lapsum; ergo neque peccator meretur de congruo auxilium efficax ad justificationem. Respondet Franciscus, sup. n. 9. (quidquid sit de Majori) ad Minorem, esse discrimen; nam meritum de condigno inducit infallibilitatem, & justitiæ at verò meritum de congruo solum congruitatem dicit, quæ inveniri potest in peccatore; in justo verò non invenitur jus ad dictum cum suspiciam bonis operibus justis sit promissa ista resurrectio à lapsu, neque evitatio novi lapsus.

Urges: auxilium efficax dependet à libera voluntate Dei; ergo nequit cadere sub merito peccatoris, qui est Dei inimicus. Respondet Felix Primò: etiam auxilium sufficienti dependet à voluntate Dei, & tamen cadit sub merito. Secundo: auxilium efficax si eaderet sub merito de condigno, esset inconveniens; non verò quoddam eaderet sub merito de congruo. Ita præfatus Auctor. Inconveniens istud est: quod si justus infallibiliter promereretur suam reparationem, quod posset esse occasio facilius peccandi. Et verò quàmvis peccator non habeat convenientiam, ut exaudiatur à Deo, utpote inimicus

inimicus ejus; atamen opera supernaturalia, que elicit, habent sufficientem proportionem cum gratia habituali, atque adeo sufficientem congruentiam, ut exaudiantur à Deo.

Igitur sententia Felicis probabilis est; scilicet fidem aliaque dispositiones mereri de congruo non tantum auxilia merè sufficientia, sed etiam efficacia. Quapropter, ut habet prima pars Conclusionis, peccator potest sibi ipsi mereri de congruo primam gratiam habitualem. Quomodo autem cum hæc veritate optimè componatur, quod homo juxta Trident. sess. 6. cap. 8. & Apostolum Rom. 3. gratis justificetur, sup. diffusè explicatum fuit. Vide ibi dicta. Quin imò, audio interrogantem, unde convincis meritum condignum primæ gratiæ justificantis repugnare Apostolo aut Tridentino? Nonne Richardus 4. dist. 17. a. 1. q. 7. ait: Quod si ultima dispositio non procedit ex gratia habituali (sicut secundum nos, & communem sententiam non procedit) probabile est, ut mereatur illam de condigno: Sed de ea controversia disputatur in materia de Merito, hinc nolo impræsentiarum eam discutere; sed contentus ero secunda parte nostræ Conclusionis, quæ asserit, quod ab omnibus admittitur; scilicet hominem justum sibi ipsi mereri posse de condigno augmentum gratiæ justificantis.

Hæc doctrina Concilii Trident. sess. 6. can. 24. sequentis tenoris: Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adepta, non autem ipsius augenda causam; anathema sit. Et clarior can. 32. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati meriti: aut ipsam justificationem bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vita æterna, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiã gloriæ augmentum; anathema sit. Subjuncto ergo: sed gloriæ augmentum meretur homo justus de condigno, ut omnes fatentur; ergo etiam augmentum gratiæ justificantis. Quid enim obstat? Illud, inquit, quod sic etiam prima gratia justificationis caderet sub merito de condigno; neque enim solum augmentum gloriæ; sed & ipsam gloriam de condigno mereatur.

Respondeo negando Consequentiam. Etenim augmentum gratiæ supponit, ut per se patet, statum gratiæ in eo, qui istud per bona opera sibi meretur; adeoque nulla deest ipsis conditio requisita ad meritum condignum. At verò prima gratia non supponit, sed efficit statum gratiæ in eo, qui illam per bona opera sibi meretur; ac proinde deest his operibus bonis conditio essentialiter requisita ad meritum de condigno, scilicet status gratiæ. Quid ad hæc Adversarii? Causantur sufficere, ut in eodem instanti temporis sit homo justus per gratiam habitualem, quæ est in eodem instanti: sicut actu contritionis meretur peccator de condigno primam gloriam, & non præsupponitur justus;

Tomus II.

sed in eodem instanti temporis est justus.

Sed contra (inquit Felix sup. n. 17.) quia sequeretur primò, per actus fidei & spei mereri de condigno primam gratiam habitualem, quod non fatentur Adversarii. Patet: nam in eodem instanti temporis sunt simul cum gratia habituali. Sequeretur 2. quòd mereremur primum auxilium ad opus eodem opere, quod est plusquam falsum; nam in eodem instanti temporis est opus & auxilium ad idem opus. Exemplum non valet; nam gloria nullo modo est principium meriti, at verò gratia est principium meriti, saltem dignificans, & ita non potest cadere sub merito. Sic ille.

Quæro ergo: unde constat, actum fidei & spei in eodem instanti temporis simul esse cum gratia habituali? An fortè peccator manens extra statum gratiæ nequit elicere actum fidei & spei? Et verò actus contritionis charitate perfectus potest esse in homine peccatore manente extra statum gratiæ? Ergo ex hoc, quòd contritio charitate perfecta mereatur condignè primam gratiam, non bene sequitur idem meritum adscribendum esse cuilibet actui fidei & spei. Lego quidem in Trident. sess. 6. c. 7. In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem, scilicet habitualem, juxta communem expositionem: sed quòd actus fidei & spei non possint elici nisi simul tempore cum gratia habituali, nusquam scriptum reperio, neque puto Felicem istud intendisse.

Quid ergo voluit? Fortè in casu, quo simul tempore essent, non magis contritionem, quàm actum fidei aut spei fore meritum condignum istius gratiæ habitualis: quod an verum sit, relinquo aliis judicandū. Nobis sufficit, quòd, secundum communem sententiam, nequidem ipsa contritio, aut dilectio Dei super omnia sit tale meritum, scilicet meritum de condigno primæ gratiæ habitualis. Si inferas: ergo similiter nec gloriæ contra Trident. sup. quod, ut audivimus, distinctè enumerat vitam æternam, & ejus augmentum.

Respondeo; aliquos negare meritum condignum non solum primæ gratiæ; sed etiã primæ gloriæ; & ad Concilium dicunt, idè addere augmentum gloriæ, ne aliquis putaret, omnes mereri æqualem gloriam, ut Hæretici fingunt; non verò quia per ly vitam æternam intelligat primam gloriam. Quidquid sit de hæc doctrina, quæ impræsentiarum non est disputanda; admissio merito condigno primæ gloriæ cum communi Doctorum judicio, negatur hæc Consequentia ergo etiam datur condignum meritum primæ gratiæ sanctificantis. Ratio disparitatis; quòd gloria, ut sup. dictum est, nullo modo sit principium meriti; sed gratia, quæ licet non sit principium efficiens, juxta plurimorum sententiam, est tamen, secundum Omnes, principium seu conditio aliqua dignificans personam ac meritum ejus; porro principium meriti non cadit sub merito, sed præsupponitur merito.

At enim, dicit aliquis: gratia est jus seu semen gloriæ;

228.

Impugnatur 1. ex Felice.

Secundò.

229.

Expenditur doctrina Felicis.

230.

Quid vult? Inveni hic Autor.

231.

Aliqui negant meritum condignum primæ gloriæ.

Ratio diff.

crimini inter gratiam & gloriã.

232.

Oppugnatur.
Defenditur.

gloria; ergo qui non meretur jus, neque gloria meretur, vel si gloriam meretur, etiam meretur jus ad eam. Respondet Felix sup. diff. 4. n. 4. Neg. Consequentiam: nam potius, inquit, hoc jus debet præsupponi ad merendam gloriam. Pro quo nota ex eod. Auctore loco citato primam gloriam in adulto, qui contritione extra Sacramentum justificatur, dari duplici titulo; ut correspondet primæ gratiæ. Datur ut hæreditas & gratis; at verò ut correspondet contritioni, datur ut merces, & propter meritum, & cum sit respectu diversorum, nullum est inconveniens, quòd simul detur gratis, & propter merita. Igitur fieri potest, ut qui non meretur jus seu litem gloriæ, id est gratiæ, cui correspondet gloria ut hæreditas; mereatur tamen gloriam, ut est merces bonorum operum hominis justificati.

Duplici titulo datur prima gloria in adulto, ex Felice.

233.

Plura possent hic addi de merito gloriæ, sed nolo mittere fastidium tractare, quæ alterius loci sunt. Hæc breviter dicta sufficiunt ad nostrum, propositum, quod est, explicare prædestinationis causas, ad quas perinde est, si ve bona opera mereantur de condigno primam gloriam, an verò tantum de congruo. Perga itaque ad aliam quæstionem sanè molestissimam, utrum nimirum prædestinatio ad gloriam sit facta antè vel post prævia merita. Hæc est nostra resolutio:

An prædestinatio ad gloriam sit facta ex prævisis meritis.

CONCLUSIO IV

Prædestinatio hominis absoluta & efficax ad determinatum gradum gloriæ non præsupponit in præscientia Dei ipsius merita, & finalem perseverantiam in gratia.

234.

IN præcedentibus satis, ut arbitror, actum fuit de gratuita prædestinatione ad gratiam; hic dicendum est de gratuita prædestinatione ad gloriam contra eos, qui, admittens priori, negant posteriorem, causantes, Deum nullo modo absolute & efficaciter ullos adultos elegisse ad vitam æternam antè absolutam præscientiam bonorum operum usque in finem. Quæ doctrina, tametsi Catholicè defendi possit, & à multis defendatur, equidem nobis non placet propter argumenta inferius producenda. Pro quorum majori efficacia

235.

Datum in Deo decretum intentionis & executionis. Alensis.

Suppono dari in Deo decretum intentionis, & executionis, id est, voluntatem dandi gloriam, & voluntatem dandi gratiam & merita, quibus ad gloriam perveniatur. De hoc duplici decreto vide quæ diximus Sect. 1. Conclus. 4. Traditur expressè ab Alensi 1. p. q. 28. membro 1. a. 2. in fine hisce verbis: Ratio prædestinationis ratione voluntatis duplex est: est enim voluntas proponens, & voluntas exequens: ratione voluntatis proponens dicitur prædestinatio propositum miserendi; ratione voluntatis exequentis dicitur prædestinatio preparatio gratia. Hunc Auctorem sequuntur alii Recentiores, quos citat Smil. sup. nu. 579. Adde Felicem de Prædest. cap. 4. diff. 6. n. 22.

Smiling. Felix. Probatio.

ubi probat dictam distinctionem; quia sine ea neque Scriptura, nec Aug. nec alii Patres rectè explicari possunt; nam modò affirmant, eos gratis prædestinari ad gloriam, modò ex prævisis meritis, ut infra videbimus; gratis utique in intentione, ex meritis autem in executione.

Si objicias: Augustinus non est usus hæc distinctione, ergo non datur. Respondet Franciscus n. 23. Primò: est auctoritas negativa, & sufficit, quòd eam invenerint Scholastici, ut rectè Scripturam & Patres explicent. Secundo: negando: nam Augustinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. & de Corrupt. & grat. e. 7. agnovit duas voluntates in Deo, unam gratuitam ex motivo solius misericordiæ, & aliam ex justitia, ex motivo meritorum: quare Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait: Vita æterna proponenda est tanquam gratia, filii Dei misericorditer promissa, & tanquam merces fideliter reddenda. Ita Felix.

Solent præterea alia duo loca S. Aug. citari, in quibus velut in terminis censetur istam distinctionem tradidisse. Unus locus est Ser. 7. de verb. Domini, ibi: Quos voluit Dominus his eligere. Elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam. Porro electio secundum suam gratiam est electio in intentione; electio verò secundum illorum justitiam est electio secundum ordinem executionis. Alter locus desumitur ex Tract. 68. in Joan. Non enim ait: qui facturus est, quæ futura sunt, sed qui fecit, quæ futura sunt: ergo fecit ea, & facturus est ea: nam neque facta sunt, si ipse non fecit, neque futura sunt, si ipse non fecerit. Tunc ergo ea prædestinando, facturus est operando.

Sed neuter locus placet Theod. sup. n. 578. Nam priorè putat intelligendum de electione gratuita ad gratiam, & de electione ad gloriam tanquam mercedem meritorum: non autem de duplici modo electionis ad gloriam. Posteriori etiam loco non distinguit æternam voluntatem exequentem ab intentione dandi gloriam, sed temporalem executionem ab æterna voluntate exequente. Vide ipsum latius. Quantum ad loca citata à Felice, patet ex dictis Conclus. 1. neque ea satis clara esse, sed admittere aliam expositionem, quàm ut significant ordinem intentionis & executionis. Concilium quoque Tridentinum solum significat distinctionem inter promissionem gloriæ, & illam redditionem; non autem inter voluntatem efficacem dandi gloriam, & ejus executionem. Nam voluntas efficax dandi gloriam non est promissa, sed ipsa datio gloriæ.

Ut ut sit de his locis D. Aug. ætenuis (ut notat Smil. sup. in fine) ex ipso colligitur allata distinctio, quatenus aliquando docet electionem ad gloriam secundum se esse gratuitam; aliquando verò ait, eam esse ex præscientia meritorum, quæ duo non consistunt, nisi primum intelligatur de electione secundum ordinem intentionis, secundum de electione secundum ordinem executionis. Sic ille. Sed enim, opponunt Adversarii: licet doctrina ordinis intentionis & executionis sit certa in Philosophia, non